

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XIX.

**S**in Christo. Reverende vir. Non dubito, quin, quod omnium sermo-  
ne celebratum est, tibi quoque notum sit, quod superiori anno initum  
sit Pataviæ pacatum quoddam de Religione inter Cæsaream Majestatem &  
Principes Germaniæ. Inter articulos autem ejus paci & conventionis, etiam  
hoc continetur, quod initio comitiorum Imperialium, ex utraque parte se-  
ligi debeant viri tranquillo, moderato & pacifico ingenio prædicti, qui inter  
se deliberent, quâ commodiori via & ratione, controversia de Religione com-  
poni & conciliari queat. Quare cum hoc tempore Imperialia comitia publi-  
ce ad diem 8. Aprilis indicta sint, visum est nonnullis piis Principibus, ante  
ea comitia, Legatos suos, tam Theologos, quam Politicos, in certum locum  
mittere, qui consilia sua inter se ita conferant, ut si imperialia comitia pro-  
cesserint, pii Principes in promptu habeant, quod in causa religionis tractare  
possint. Hoc voluituæ humanitati idecirco significare, ut referas hoc secretò,  
pro tuâ prudentia, ad eos, qui sunt à secretis consiliis vestræ urbis, & cupiunt  
piam doctrinam conservatam & propagatam, ut secum deliberent, num vi-  
deatur ipsis profuturum, si & ipsi ad eum conventum, quem fortassis pii Prin-  
cipes instituent, suos Theologos & alios Legatos mittant. De qua res si quid  
certi cognoveris, certiore me reddere potes. Bene ac feliciter vale. Stud-  
gardiæ, die 16. Martii. Anno M. D. LIV.

Jo. Brentius.

## XX.

**S**D. Reverende & clarissime vir. Accepi superioribus diebus tuas literas,  
quibus mihi singularem tuorum civium voluntatem, quæ antea nobis sa-  
tis cognita & perspecta fuit, erga verè piam doctrinam significas. Quod de-  
num cœleste precorex animo, ut Deus Spiritu Sancto suo confirmet & conser-  
vet. Etsi autem fieri potest, ut in Comitiis Augustanis de religione nihil tra-  
ctandum suscipiant, tamen visum est non solum Illustriss. meo Principi D.  
Christophoro, verum etiam D. Augusto, Electori Saxonie, & D. Landgravio  
Hassia, ac aliis nonnullis piis Principibus, conventum Legatorum suorum, tam  
politicorum quam Ecclesiasticorum in Naumburg Misniæ instituere, ut con-  
ferant inter se de conservanda confessione Angustanâ, ne quis peregrinam no-  
bis doctrinam obtrudat. Jussus igitur sum, tuam humanitatem his literis  
certiore reddere, quod præfatus conventus constitutus sit ad Naumburg ad  
diem Jovis post Cantate, hoc est, ad diem 26. Aprilis, ut referas ad eos ve-  
stræ reip. Senatores, penes quos est harum rerum administratio & curatio,

F

si forte